

veneti, ut clarius et apertius discrimen in quo tota christiana respublica versatur, ostenderent, utque eo intellecto, celerius in nostrorum auxilium insurgeres, unum de suis bene instructum ad te miserunt, nosque etiam indulgentiam plenariam ac jubilaeum pro te et iis qui de tua classe contra dictos turcas pugnarent, nobilitati tuæ, quemadmodum per litteras quæsierat, misimus. Verum, cum postmodum per litteras ipsorum venetorum, quarum exemplum his acclusum tibi mittimus, ad nos atrox ac calamitosum nuntium de expugnatione ipsius civitatis Mothone per ipsos turcas allatum fuerit, in qua expugnatione, incensa ac vastata urbe, subversis ecclesiis atque altaribus, cæsis trucidatisque non solum defensoribus, sed, sine delectu aliquo aut discrimine, infantibus ac mulieribus omnibus, incredibili strage, per ipsos rabidos canes sævitum est, rati nihil esse pro rei magnitudine ac periculo cunctandum aut differendum, licet nobis persuaderemus tuam nobilitatem jam isthinc nostris acceptis litteris, ad nostrorum subventionem solvisse, et se cum dictis venetis conjunxisse, denuo tamen tibi scribendum duximus, ac ut magis nobis ipsis et rei necessitati satisfecerimus mittendum ad nobilitatem tuam præsentium latorem, dilectum filium Ludovicum Musca, civem romanum, scutiferum ac familiarem nostrum domesticum, cui commisimus ut, si forte nondum ex aliquo casu isthinc ad optatam defensionem christianorum discesseris, præter has et alias nostras ac aliorum litteras tuæ nobilitati hactenus scriptas, coram ac viva, ut aiunt, voce, te omni diligentia atque instantia ad hoc tam sanctum tamque necessarium opus urgeat atque sollicitet, nec prius a te inde discedat, quam te ac classem istam, in qua sola, sicuti ipsi veneti plane affirmant, spes omnis ac salus præsentium rerum christianarum consistit, felici cursu viderit abiisse. Ageremus certe pluribus, teque etiam arctius requirendo ad hoc adducere conaremur, nisi pro comperto haberemus, nobilitatem tuam, quæ manifestum discrimen, labentes, fessas atque afflictas res christianas videt, ac ipsorum catholicorum regum pium animum ac voluntatem in eas adjuvando cognoscit, nosque tam sollicitos ac anxios propterea intelligit, sua sponte ac per se in hoc satis animatam ac, ut etiam suis litteris promisit, dispositam esse. Quam tamen, ut quam primum se huic sancto necessarioque operi accingat, ita hortamur ac requirimus, ut vehementius magisque ex animo hortari ac requirere non possimus.

Data Romæ apud S. Petrum, sub annulo pi-

scatoris, die 17 septembris 1500, pontificatus nostri anno nono.

*A tergo : Dilecto filio, nobili viro Consalvo Fernandes, regie classis Hispaniarum capitaneo.*

Et in eam sententiam scriptum fuit ad eundem capitaneum per sacrum reverendissimorum cardinalium collegium.

*Copia di una letera scritta per il re di romani a la Signoria nostra; si duol di la perdeda di Modon.*

*Maximilianus, divina favente clementia, romanorum rex semper augustus etc.*

Illustris, sincere dilecte.

Miserabilis illa calamitas, et Mothoni oppidi tui expugnatio, quam litterarum tuarum longa narratione percepimus, eum nobis mœrorem, eam animi molestiam attulit, ut non magis existimaverimus scriptis tibi respondere, quam pro tanta reipublicæ nostræ christianæ ærumna et impendenti periculo, toto cordis affectu ingemiscere, totis præcordiis dolere ac contristari. Novimus enim, quod et tu fateris, non eam esse unius Mothoni cladem, non ibidem cessaturam tam potentis, tam nostro gregi infesti hostis sævitiam, sed, nisi præsentī remedio opportune obsistatur, in media christianorum viscera irrupturam, et non modo Peloponnesi ora tantam rabiem, tantam christiani gregis contentam fore sitim, sed, ubi se pleno ore proluat, quæsituram. Longius inhiavimus nos, a nostris fere incunabulis, huic sanctæ, huic necessariae expeditioni, ut in tempore tantos sævissimi hostis conatus obtunderemus; nunquam destitimus et cæteros christianos principes exhortari et excitare, ut, sepositis privatis commodis et cupiditatibus, communi et universali saluti aliquando prospicerent. Et nisi christianæ reipublicæ perturbatio immoderataque rerum machinatio et dispositio christianos principes et potentatus a tam sancta, tam necessaria expeditione, quam et unusquisque fovendam duxerat, retraxissent, haud dubie præsentī nunc oculis nostris calamitati, christianæque reipublicæ, ærumnæ, provisum fuisset. Verum non diffidimus, quin Deus optimus maximus sua pietate oculos ad nos diriget, et huic nominis suis calamitati providebit, atque immanissimi hostis sui propositis obviabit; nosque, congruo et consulto tempore, tam sanctæ tamque necessariae